


05

A

1896





C
D
I
S



Q. D. B. V.

De

CHRISTIANISMO
SENECÆ,

DISSERTATIONE HISTORICO-THEO-
LOGICA EXAMINATO,

in florentissima Leucorea,

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Plur. Reverendi, Amplissimi, Excellentissimi

DN. ÆGIDIJ STRAUCHII,

S.S. Theolog. Doctoris, & Collegii Theologici Asses-
soris gravissimi, nec non Historiarum Prof. P.

longè celeberrimi,

DN. Præceptoris, Patroni & Hospitis sui

multis observantia nominibus æternum

colendi,

Publicè disputabit

M. GOTOFREDUS Rāwicz /

Vratislaviensis,

In Auditorio Majori, Ad D. Septembris,


A. R. S. cIs Isc LXVIII.

WITTEBERGÆ,

Typis MICHAELIS Wendt.



05 A / 1896



gis
Sap
fid
co
Sci
de
sec
M
sec
qv
du
ba
fir
ba
sun
ad
di
D
ex
sec
qv
re
er





I. N. J.

Amplissimè quidem lucis Evangelicæ
usus jam ab initio Novi Testamenti
patuit, cum Servator noster induerit car-
nem, ut illuminaret omnem hominem, venien-
tem in hunc mundum, *Job. I, 9*; propriâ tamen
hominum malitiâ, qui tenebras dilexerunt ma-
gis, quàm lucem, *Job. III, 19*, evenit, quod præsertim ii, qui
Sapientiæ hujus mundi dediti fuerunt, salutis nostræ mysteria,
fidemq;, quæ non in Sapientia hominum, sed in potentia DEI
consistit *1. Cor. II, 6*. aut omnino nunquàm, aut tardè admiserint.
Scilicet ipsemet Servator noster discipulorum suorum ordines
descripturus, gratias agit Patri, quod Evangelii doctrinam ab-
sconderit sapientibus & prudentibus, & revelavit eam infantibus,
Matth. XI, 25. Luc. X, 21. & Divus Paulus Corinthios suos verbis
sequentibus allocutus est: *Videtis vocationem Vestram, Fratres,*
quod videlicet non multi Vestrum, qui vocati estis, sint sapientes secun-
dum carnem, non multi potentes, non multi nobiles; Sed quæ stulta
habentur in mundo, illa elegit Deus, ut sapientes pudefaceret, & in-
firma mundi elegit Deus, ut pudefaceret valida; Et quæ ignobilia
habentur in mundo & nihili aestimata, illa elegit Deus, & ea quæ non
sunt, ut ea quæ sunt, aboleat, 1. Cor. I, 26. seqq. Cæterùm rariores
ad Ecclesiæ Christianæ pomœria accesserunt illi, qui Philosophi
dici consueverunt, non quod iisdem salutem æternam inviderit
DEUS, vel per absolutum Reprobationis decretum quoddam,
exclusos, præteritosve eos voluerit; Sed quod Sapientiâ hujus
seculi inflati, vanos evertere λογισμῶς, omnemq; sublimitatem,
quæ sese extollit adversus cognitionem DEI, vel in captivitatem
redigere omnem cogitationem, ad obediendum Christo, de-
trecharint *2. Cor. X, 5.* gloriati potius, adversus interdictum DEI,
in sa-

in Sapia sua Jer. IX, 23. Nullus certè obex Gratia vocationis: majori cum periculo ponitur, quàm vana de Sapia & Scia dotibus præsumptio; quemadmodum desperatus, pessimusq; ægroti status est, quando is vim morbi sui, quò lethaliter decumbit, non sentit amplius & de sanitate sua fabulatur. Quod si Ecclesiasticam Historiam consulamus, abundè eadem nos docebit, quàm difficilis labor sanctorum Patrum fuerit, quò Sapia humanæ Magistris, Baptismi susceptionem persuadere conati sunt. Imò non ipsi tantùm sapientes illi, adversus Fidem Christianam obfirmarunt animum, sed Christianorum numero jam adscriptos ad defectionem frequenter sollicitarunt; Unde Ecclesiasticorum Scriptorum in Philosophos, [non veri nominis tales, sed qui abusi cognitione, quàm natura suppeditat, *Φαύκοντες εἶναι, σοφοί, ἐμωρεῖν ἡσαν*, quum dicitent, se sapientes, stulti evaserunt, Rom. I, 22.] acerbissima diæria originem suam habuerunt, quando *Tertullianus*, in Libro adversus Hermogenem, *Hæreticorum Patriarchas* eos appellat, & de Præscriptionibus adversus Hæreticos inquit: *Ipsæ Hæreses à Philosophia subornantur*; Item: *Quid ergo Athenis & Hierosolymis? Quid Academia & Ecclesia? Quid Hæreticis & Christianis? Nostra institutio de porticu Salomonis est, qui & ipse tradiderat; Dominum in simplicitate cordis esse quærendum. Viderint, qui Stoicum & Platicum & Dialecticum Christianismum protulerunt.* Et denuò in Apologetico adversus Gentes cap. XLVI. inquit: *Christiani, qui excedunt à regula disciplina, desinunt tum Christiani haberi penes nos; Philosophi verò illi cum talibus factis in nomine & in honore Sapia perseverant. Quid adeò simile Philosophus & Christianus? Gracia discipulus & cæli? fama negotiator & vita? verborum & factorum operator? rerum edificator & destructor? Amicus & inimicus erroris? veritatis interpolator & integrator? Furator ejus & custos?* Etsi v. Philosophorum è Gentilismo conversorum, exempla quædam præstò sint, & *Justinus Martyr* imprimis, postquàm omnis generis Sectas Philosophorum audiverat, Stoicos, Peripateticos, Pythagoricos, Platicos, (uti ipse in Dialogo cum Tryphone refert,) Fidem Christianam amplexus, sanguinem etiam pro eadem fuderit; rariora tamen ea sunt, quàm fidelium *ἡντιῶν* mente & mentò talium; Nonnulla etiam

contro-

controversa exempla sunt, nec merentur fidem. Atq; hæc inter
videntur nobis recensenda esse, quæ de SENECAE, Celeberrimi
quondam Philosophi, Christianismo circumferri solent. Dispi-
ciemus igitur hæc vice: *Num Relatio eorum, qui Se-
necam Christianorum numero adscribunt, & Marty-
rem propemodum faciunt, veritati litet, nec ne?*

SANCTIFICA NOS, PATER SANCTISSIME, IN VERITATE TUA;
SERMO TUUS VERITAS EST!!

§. I.

ETIAM SENECAE nomine, priscis temporibus, plures in-
notuerint; Nam ad SENECAM DEFENSOREM, Valen-
tinianus & Valens AA. de *Defensoribus Civitatum*, id est, Magistra-
tibus minoribus, qui usq; ad quinquaginta solidorum summam
cognoscere poterant, rescripserunt, *L. 1. Codicis*; Et Episcopus
X. Hierosolymitanus *Seneca* appellatur; apud *Nicephorum Cal-
listum* L. 3. c. 25; Nos tamen nullum alium hoc locò intelli-
mus, quàm LUCIUM ANNEUM SENECAM, cujus Pater, in
Bibliotheca Hispanica p. 196. vocatur *Marcus Annaeus Seneca*, mi-
raculosâ pollens memoriæ vi, cum duo millia vocum eò ordine
recitare potuerit, quò alter dixerat, uti ab initio Declamatio-
num ipse refert. Matrem habuit *Helviam*, quæ & *Elbia*, corruptè
in Codicibus quibusdam *Albina* dicitur. Fratrum unus, *Annaeus*
Mela, seu *Mella* genuit *Lucanum* Poëtam; Alter *Annaeus Novatus*,
itemq; *Junius Gallio* appellabatur, qui honores civiles gessit. De
his ipsis ita *Lucius Annaeus* noster, in *Consolatione ad Helviam*
c. XVI. *Respice Fratres meos: quibus salvis, fas Tibi non est, accusare*
fortunam. In utroq; habes, quod Te diversâ virtute delectet: Alter
honores industriâ consecutus est, alter sapienter contempsit. Acquiesce
alterius filii dignitate, alterius quiete, utriusq; pietate. Novi fratrum
meorum intimos affectus. Alter in hoc dignitatem excolit, ut tibi
ornamento sit; Alter in hoc se ad tranquillam, quietamq; vitam rece-
pit, ut tibi vacet. Bene liberos tuos & in auxilium & in oblectamen-
tum fortuna disposuit. Potes alterius dignitate defendi, alterius otio
frui, &c. Cæterum an nomen SENECAE exinde descendat,
quod is, cui primo hoc impositum, CANUS sit natus, uti de
Numa Pompilio tradiderunt quidam, definire non audemus.

A 3.

Hoc.

Hoc certius est, Hispanum fuisse Senecam nostrum, Corduba, in Bætica (quæ hodie Andalusia dicitur) civitate, ad Bætin fluvium, editus, celebremq; adeò nactus patriam, cum Bætica universa, fertilissima, optimaq; Hispaniæ Provincia à Plinio dicatur; Corduba verò, inter octo Bætice colonias, prima & PATRICIA dicta sit, quasi Colonia Veteranorum & Honestorum, quiq; ut PATRES, digni honore fuerint, quò modò titulum hunc Antonius Augustinus Tarraconensis Archi-Episcopus, Dialogò VIII. de Antiquitatibus Romanis, Hispanisq; p. 112. exponit. De eadem Senecæ patria, ita Martialis cecinit: L. 1. Epigram. 62.

*Duosq; Senecas, unicumq; Lucanum
Facunda loquitur Corduba.*

§. 2. De Genere igitur & Patria Senecæ nostri constat; Non item de tempore, quò natus is est. Plures quidem testantur, quod corpus senile habuerit, quando Neronis jussu, necessitatem ultimam annunciavit ei Centurio, id est, annò Christi LXV. P. Siliò Nervà & C. Juliò Atticò Vestinò COSS. Nec potuit quidem res se aliter habere, cum M. Aquiliò Julianò & P. Noniò Asprenate Torquatò COSS. id est, annò Christi XXXIX. tantùm in dicendi arte jam valuerit Seneca, ut videretur, ac si eloquentiã superare Caligulam vellet. Conf. Dio L. 59. Hoc unum igitur certum videtur, Octaviò Augustò Imperatore, Senecam natum esse; Nam quod ejus temporibus vixerit, indicavit ipse, Naturalium Quæstionum L. I. cap. 1. Nos quoq; vidimus, inquit, non semel flammam, ingentis pile specie, quæ tamen in ipso cursu suo dissipata est. Vidimus circa Divi Augusti excessum simile prodigium. Et iterum L. VII. cap. 17. Cometen sub Augusto se vidisse, refert. Atq; hoc ex eo etiam patet, quod in Tiberii Cesaris principatum, juventæ suæ tempus incidisse, in Epistola CVIII. scripserit.

§. 3. Quicquid sit de Natali Senecæ, vitæ ejus instituta brevissimis exponamus: Studiis igitur Philosophicis, ab ineunte ætate, fuit addictus, artemq; dicendi egregiè didicit, auscultans principiò Pythagoricis Doctõribus, quorum instinctu etiam abstinere animalibus inceperat, nec non unguentò, quoniam optimus odor in corpore est nullus. Vinò etiam caruit stomachus; Et in omnem vitam balneum fugit; Nam decoquere corpus, atq; exinan-

exinanire sudoribus, inutile simul, delicatumq; credidit, uti ipsemet Seneca sensa animi sui exponit *Epistolâ CVIII.* Postea Stoicæ Philosophiæ fuit addictior, quæ, *Plutarcho* in Cleomene iudice, si in magnam & acrem inciderit naturam, quiddam lubricum & anceps; Sin temperetur ingenio gravi ac miti, multum confert ad verum bonum. Causarum etiam patronum aliquando se fuisse, ipse testis est, in *Epistola XLIX.* ad Lucilium scribens: *Modò apud Stoicum Philosophum puer sedi, modò causas agere coepi, modò desii velle agere, modò desii posse.* Sicuti Republicam non neglexit, ita honores etiam exinde retulit, SENATOR, QUÆSTOR, PRÆTOR, & tandem, extra ordinem licet, factus est CONSUL, suffectus in locum *P. Marii Celsi & L. Asinii Galli,* Annò Urbis Conditiæ DCCCIV. Christi LXII. Et si enim *Ausonius* ad Gratianum Imperatorem, pro Consulatu agens gratias, scripserit: *Dives Seneca, nec tamen Consul, arguetur magis, quam predicabitur, non erudisse indolem Neronis, sed armasse sevitiã;* id tamen de Consulatu ordinario esse intelligendum, palam est. *Ulpianus* certè Consulatum Senecæ disertè commemorat *L. 1. D. ad Senatus Consultum Trebellianum,* verba ejus sunt: *Explicitò tractatu, qui ad fidei commissã singularium rerum pertinet, transeamus nunc ad interpretationem Senatus Consultum Trebelliani.* Factum est enim Senatus Consultum temporibus Neronis, octavo Kalendarum Septembris, Annò Senecæ & Trebelliò Maximò Consulibus. Quod ipsam etiam *Justinianus* Imperator confirmat *L. 2. Institut. de Fideicommissariis Hereditatibus & ad Senatus Consultum Trebellianum:* *Neronis quidem temporibus, inquit Imperator, Trebelliò Maximò & Annò Senecæ Consulibus, Senatusconsultum factum est; quò cautum est, ut si hereditas ex Fideicommissi causa restituta sit, omnes actiones, quæ jure Civili heredi & in heredem competere, ei & in eum darentur, cui ex Fideicommissore restituta esset hereditas &c.*

§. 4. Cœterum cum pro Sapientissimo, Prudentissimoq; Seneca haberetur, tradita illi Neronis pueritia & juvenus est, quam ultra XIV. annos rexit, & quamdiu quidem Imperatoris in animo consilia Senecæ hærebant, latisimus erat Reipublicæ Romanæ status, cunctaq; optimè & justissimè administrabantur. Sed

Sed postquam alter Imperatoriae juventæ Rector & Collega Senecæ, *Afranius Burrhus*, militaribus curis & severitate morum præstans, fatis concesserat, fracta est Senecæ potentia & Nero adulatoribus auscultavit, quorum erant hæ voces: *Senecam ingentes & privatam supra modum evectas opes ad huc augere; Studia civium in se vertere; Hortorum quoque amœnitate & villarum magnificentiam quasi principem supergredi; Nihil in Republica clarum, quod non ab illo reperiri credatur. Certè finitam Neronis pueritiam, & robur juventæ adesse; Exueret Magistrum, satis amplis Doctoribus instructus, majoribus suis.* (Tacitus Annal. L. XIV. cap. 52.) Itaque in omnis generis vitia prolapsus est Nero, immani bestię similis & detectâ Pisonianâ conjuratione, in Senecam nostrum sæviit, compulitque Præceptorem ad necem, quamvis sæpè commeatum petenti, bonisque cedenti, persanctè jurasset, suspectum se frustra, periturumque potius, quam nociturum se ei, uti *Svetonius* annotavit. Indictâ à tribuno ultima necessitate, ferro brachia exsolvit, & post diuturnos cruciatus, tandem periit, sicuti postea uberius exponemus.

§. 5. Atque hic Seneca ille est, quem ad Christianismum conversum esse & scripsisse etiam ad Paulum literas, à quibusdam Scriptoribus traditur, qui ex antiquitate Ecclesiastica sequentia ferè, pro sententia sua, allegant; Et PRIMÒ quidem locò ad ipsamet Sacra Biblia provocant, Paulum enim testari, ajunt, quod ea, quæ sibi acciderint, magis evererint ad profectum Evangelii, adeò, ut vincula sua in Christo manifesta facta sint IN TOTO PRÆTORIO, ac cæteris omnibus &c. *Phil. I, 12. 13.* Et iterum eosdem Philippenses, Sanctorum nomine, salutat, qui sunt *ex Cæsaris domo*, *Phil. IV, 22.* Jam, inquiunt, apud *Georgium Hornium* in Historia Philosophica L. 4. c. 6. quis major in Cæsaris Neronis domo, quam Præceptor Senecâ? Item: Quoniam tanta doctrinæ Pauli celebritas fuit & admiratio, ut etiam ex Cæsaris familia & molles illi & plerumque degeneres animi eum secuti sint, an igitur Seneca, Sapientiæ laude celebris, tantum audire virum recusasset? In eandem rem interpretantur quidam ejusdem Apostoli verba: *Dominus mihi adstitit & corroboravit me, ut per me præconio Evangelii fides fieret, audirentque id omnes*

omnes Gentes, & ereptus fui ex ore leonis, 2. Tim. IV, 17. Putant igitur Paulum indicare, uti est primis visculis familiaritate & operâ Senecæ Philosophi, Christianismô imbuti, liberatus fuerit, ut in Hispaniis præsertim, aliisque Occidentis partibus, Evangelium prædicaret & Gentes illas ad fidem converteret.

§. 6. SECUNDUM argumentum pro Christianismo Senecæ, secundi post Petrum Pontificis, *Lini* nempe, testimonium supeditare dicitur, quod in Libro ejus de Passione Pauli ita legunt: *Concurfus de domo Cesaris fiebant ad eum (Paulum) sed & Institutor Imperatoris adeo fuit illi amicitia copulatus, videns in eo divinam scientiam, ut se à colloquio illius temperare vix posset, quo minus, si ore ad os illum alloqui non valeret, frequentibus datis & acceptis Epistolis, ipsius dulcedine & amicabili colloquio, atq; consilio frueretur.* Et si enim in iisdem verbis *Lucii Annaei Senecæ* dilerta mentio non fiat INSTITUTOREM tamen CÆSARIS NERONIS dum Auctor hujus Libri nominavit, non potuit alium, quam Senecam Philosophum intellexisse, qui de Institutione hac, in hunc modum ad Neronem verba fecit, ut est apud *Tacitum* Annalium L. XIV. *Quartus decimus annus est Cesar, ex quo spei tue admotus sum, octavus, ut imperium obtines. Medio temporis tantum bonorum atq; opum in me cumulasti, ut nihil felicitati meæ desit, nisi moderatio ejus, &c.* Et quam præclara fuerit illa institutio, vel ex eo apparet, quod Sermonem *Neronis*, est mente Præceptoris sui *Senecæ*, initiô Imperii habitum, tanti fecerit Senatus, ut columnæ argenteæ inscribi eum jussit, ut quotannis in creatione novorum Consulium legeretur, eâ gratiâ, ut velut ad amussim juxta ea præcepta, Rempublicam quam optimè regerent, quod ex *Dione Xiphilinus* prodidit.

§. 7. Allegant TERTIÔ Divi Hieronymi autoritatem, qui in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, Tom. I. Operum Edit. Basil. p. 123. de Seneca nostro sequentia annotavit: *Lucius Annaeus Seneca Cordubensis Sotionis Stoici discipulus & Patruus Lucani Poëta, continentissima vitæ fuit, quem non ponerem in catalogo Sanctorum, nisi me ille Epistola provocarent, quæ leguntur à plurimis, Pauli ad Senecam & Senecæ ad Paulum. In quibus cum esset Neronis Magister, & illius temporis potentissimus, optare se dicit, ejus esse loci*

B

apud

apud suos, cuius sit Paulus apud Christianos. Hic ante biennium quam Petrus & Paulus coronarentur martyriò, à Nerone interfectus est. Et iterum ad laudem Senecæ pertinere videtur, quod L. I. adversus Jovinianum c. XXX. SUUM Hieronymus appellet: Scripserunt Aristoteles, ait, & Plutarchus, & NOSTER SENECA de matrimonio Libros &c.

§. 8. QUARTUM citare Christianismi Senecæ testem solent Flavium Lucium Dextrum Barcinonensem, Orientalis Imperii Præfectum Prætorio & Divo Hieronymo amicissimum, qui in Chronico omnimodæ Historiæ, primùm quidem eidem Hieronymo dicato, Sed eò ad superos translato, multis locis locupletato & Paulo OROSIOTarraconensi iterum nuncupato, ad Annum Christi 64. Urbis DCCCXV. scripserit: Lucius Anneus Seneca Cordubensis Hispanus, missis ultrò citroq; ad Sanctum Paulum literis, de Christiana re benè sentit, factusq; Christianus occultus, ejus fuisse discipulus creditur: dulciterq; scribit ad Paulum in Hispania morantem. Ad quæ verba Dextri Franciscus Bivarius Mantua-Capetanus Cisterciensis Monachus, inter alia annotavit: Una ex his (Epistolis) videtur ea, quam Dexter ait scripsisse Senecam ad Paulum in Hispaniis degentem: NIMIÒ TUÒ ANGIMUR SECESSU: QUID EST, VEL QUÆ TE MORATUM FACIUNT? SI INDIGNATIO DOMINI, QUOD ARITU ET SECTA VETERI RECESSERIS ET ALIOS RURSUS CONVERTERIS, ERIT POSTULANDI LOCUS, UT RATIONE FACTUM, NON LEVITATE, HOC EXISTIMES. VALE.

§. 9. QUINTÒ, Augustinum etiam allegant, ut probent, Senecam Epistolarum ad Paulum Auctorem genuinum & Christianum fuisse; Meminit Senecæ Augustinus in Epistola ad Macedonium, quæ LIV. est in editione Basileensi & extat Tom. II. Oper. p. 239. In eadem sequentia leguntur: Merito ait Seneca (qui temporibus Apostolorum fuit, cuius etiam quædam ad Paulum Apostolorum leguntur Epistolæ) omnes odit, qui malos odit; & tamen idèò diligendi sunt mali, ut non sint mali: quemadmodum non ut permaneant, sed ut sanentur, diliguntur egroti. Eundem Auctorem iterum allegat Augustinus L. VI. de Civit. Dei cap. X. Oper. T. V. p. 361. Libertas sanè, inquit, quæ huic (Varroni) defuit, ne istam urbanam Theologiam, Theatrica simillimam, apertè sicut illam reprehend-

prehendere auderet, *Anneo Seneca*, quem nonnullis indiciis invenimus
Apostolorum nostrorum claruisse temporibus, non quidem ex toto,
verum ex aliqua parte non defuit. Affuit enim scribenti, viventi de-
fuit. Nam in eo libro, quem contra superstitiones condidit, multo
copiosius atq; vehementius reprehendit ipse civilem istam & urbanam
Theologiam, quam Varro Theatricam, atq; fabulosam &c.

§. 10. Imò novum & SEXTUM argumentum, pro Christia-
nismo Senecæ, è citato ejus ab Augustino, CONTRA SUPERSTI-
TIONES, Libro, desumunt, arguentes; Eum, qui Superstitiones
Gentilium acriter perstringit, nec quicquam cum illis commune
habere desiderat, pro gentili s. Ethnico habendum amplius non
esse; Et quia nec cum Judæis fecit Seneca, Christianum eum fuisse
oportet. Assumptionem novissimam iterum ex Augustino pro-
bant, in eodem L. VI. de Civ. Dei cap. XI. verbis sequentibus
auspicante: *Hic [Seneca] inter alias civilis Theologiæ superstitiones, reprehendit etiam Sacramenta Judæorum & maxime Sabbatha, inutiliter id eos facere affirmans, quod per illos singulos septem interpositos dies, septimam ferè partem ætatis suæ perdant vacando & multa in tempore urgentia non agendo ledantur. Christianos tamen jam tunc Judæis inimicissimos, in neutram partem commemorare ausus est, ne vel laudaret contra suæ patriæ veterem consuetudinem, vel reprehenderet, contra propriam forsitan voluntatem.* Subjungit *Ludovicus Vives*, insontium Christianorum lanienam, qui incensâ à Nerone urbe, pœnis exquisitissimis, omnemq; humanitatem superantibus, subjiciebantur, Senecam spectare non sustinuisse, & cum frustra à Principe petiisset, ut in rus aliquod secedere, valetudinis causa, sibi liceret, domi atq; adeò in cubiculo multos menses se continuisse. Quâ ratione *Vives Tacitum* corrigit, qui ad evitandam invidiam *Sacrilegiorum Neronis*, consilium Senecæ interpretatus est.

§. 11. Addit *Franciscus Bivarius* in Comment. ad Dextri
Chronicon, SEPTIMÒ, *Honorium Augustodunensem*, Ecclesiæ Pres-
byterum & Scholasticum, quem *Bellarminus* è Trithemio anno
Domini 1220. claruisse scribit; Eundem enim in Libro de Lumi-
naribus Ecclesiæ, seu Scriptoribus Ecclesiasticis, sequentia an-
notasse: *L. Annaus Seneca Cordub. Photini Stoici discipulus &*

*atrus Lucani Poëta, scripsit quasdam Epistolas ad Paulum Aposto-
um & Apostolus quasdam rescripsit. Huc referri potuisset Epita-
hium Senecæ, quod his versibus descriptum circumfertur:*

*Cura, labor, meritum, sumpti pro munere honores,
Ite, alias posthac sollicitate animas.*

*Me procul à vobis DEUS evocat, Ilicet actis
Rebus terrenis hospita terra vale:*

*Corpus avara tamen solemnibus accipe saxis;
Namq; animam caelo reddimus, ossa Tibi.*

Atque hæc ferè sunt, quæ adduci à Scriptoribus solent, ut pro-
sent, Senecam Christianum fuisse. Epistolas ipsas, conversionis
iujus Philosophi indices, collegit *Jacobus Faber Viennensis E-
iscopus*, & commentariolò illustravit, quem secutus est *Sixtus
Senensis*, qui in Bibliotheca Sancta Libro II. p. 115. octo exhibet
epistolas, quas *Seneca* ad Paulum, & sex, quas *Paulus* ad Sene-
cam scripserit, quas genuinas esse non dubitat, etsi fateri cog-
ur, aliud scribendi genus, in Scriptis Senecæ aliis, observari,
quod ita excusat: *Videri sibi Senecam stylum suum aliquantulum
in his Epistolis obumbrasse de industria & dissimulasse, ut, si fortè in
alienas manus Epistola venissent, etsi inscripta nomine Senecæ, potuis-
sent nihilominus, in periculo, non videri Senecæ. Periculum enim fuisse
& contra Imperatoris tunc edictum, Christiani aut Judæi familiari-
tare uti. Eandem sententiam è Pontificiis propugnant *Salmeron*
in Commentar. ad Phil. cap. IV, 22. *Margarinus de la Bigne* in
Bibliotheca Patrum, *Franciscus Bivarivus* ad Chronicon Dextrii
aliique.*

§. 12. Etsi verò ii, qui affirmant, Senecam de Orthodoxa
Fide ad Apostolum Paulum scripsisse, & Christianum factum esse,
rationibus suis non destitui penitus videantur, recepta tamen
magis adversa sententia est, Senecam, ut *Stoicum Philosophum*,
decesisse, & Epistolas sapiens citatas supposititias esse; Ita certè
sentiunt *Erasmus Roterodamus* in Notis ad Hieronymum de
Scriptoribus Ecclesiasticis, *Ludovicus Vives* ad Augustinum de
Civitate Dei L. VI. c. X. *Centuriatores Magdeburgenses* Centu-
riâ I. *Robertus Cocus* in Censura Scriptorum veterum p. m. 10. *Bar-
ronius*

ronius ipse in Annalibus ad Annum LXVI. Num. XI. *Possevinus* in Apparatu, Voce SENECA, *Martinus Antonius Delrius* in Prolegom. ad Syntagma Tragicum, *Beza* in Annotationibus Majoribus ad Phil. IV, 22. & è recentioribus *Marcus Zverius Boxbornius* in Historia Universali p. 122. *Georgius Hornius* in Historia Philosophica p. 257. aliiq; Non negamus equeidem, multa egregie & optime egisse, atq; scripsisse Senecam, unde præclara etiam meritis elogia est, quale est illud *Frontonis*, nobilis olim Oratoris & Nepotis Plutarchi, qui Senecam sic exterminare omnes errores dicebat, ut aurea videatur secula reformare & Deos ab humano genere exulantes, ejus operâ revocatos, hominibus, contractâ societate, misceri. Ipsiqve Senecæ olores, apud *Gellium* Lib. XII. cap. 2. de Scriptore hoc ita sentiunt, rerum, quas dicat, scientiam doctrinamq; ei non deesse, & in vitiis morum objurgandis severitatem, gravitatemq; non invenustam. Imò nec *Josephi Halli*, olim Episcopatus Wigorniensis in Anglia Decani, judicium de Seneca improbamus simpliciter, quando is in libro de vera tranquillitate animi, quem *Eberhardus Schuttenius* Latinum fecit: *Nunquam quisquam Ethnicorum scripsit divinius, inquit, nunquam quisquam Philosophorum probabilius; Nec aptiorem unquam mihi desiderarem Magistrum, si nullâ aliâ in hac re Magistrâ opus, quam Naturâ ipsâ haberem.* Sed nec illud inficias imus, ad præconium Evangelii aditum Senecæ patuisse, cum Christianorum multi, & inter hos Paulus etiam, ejus temporibus, Romæ vixerint. Nec deerant Senecæ Christianorum Martyrum exempla, qui præsertim in novissimis, fidem suam ad Spectatores exposuerunt egregie, eandemq; sanguine obsignarunt suò, tam copiosè, ut rivos pingvedinis humanæ per arenam Amphitheatri sulcum fecisse, *Tacitus* annotarit. Dicam amplius; quando Orientem fidem primus Nero cruentavit, uti *Tertullianus* adversus Gnosticos loquitur, innumeros Christianos latuisse Romæ, dubium non est, qui gravissimos cruciatus veriti, ut *Tunicam molestam*, (quæ erat indusium cerâ illitum, quò martyres, tæda & papyrò circumdati, supervestiebantur ad nocturna spectacula, de quo *Juvenalis* cecinit:

Pone Tigillinum: tæda lucebis in illa,

Quæ stantes ardent, qui fixo gutture fumant.)

Et sexcenta alia genera morbis, noviter tunc excogitata, non sub dio, sed in speluncis subterraneis potius, Christianos se esse, professi sunt, quæ Ecclesiæ pressæ s. invisibilis solet esse conditio. Certè ἐν ἰδίῳ μισθῶσαν, in proprio conducto, excipiebantur à Paulo omnes, qui ingrediebantur ad ipsum, Actor. XXVIII, 30. etiamsi, instar Nicodemi, nocte accederent Joh. III, 2. E quibus omnibus id demum sequitur, ad τὴν ἀδύνατον quidem conversionem Senecæ non pertinere, sed potuisse eum luce Evangelii illuminari, nisi conciones Paulinas ἀνεπίστα s. stultitiam interpretatus fuisset 1. Cor. I, 33. Acta ipsò autem Christianismum eum professum & Epistolas, quæ in hanc rem circumferuntur, genuinas esse, ἀπορίτως negamus, reddimusq; hujus negationis nostræ rationes sequentes.

§. 13. *Primò*, Scriptores Veteres, quorum probata in annotandis Ecclesiæ rebus fides est, non tantùm de conversione Senecæ omnino tacent, sed quæ communis erat Philosophorum ἀπίστεια, eundem etiam in infidelitate decessisse, referunt; Clarissimum testimonium Lucius Cælius Lactantius suppeditat, quando L. VI. de vero Cultu cap. mihi 24. mirabilem hanc, uti ipse appellat, è Seneca citat sententiam: *Magnum, nescio quid, majusq; quàm cogitari potest, numen est, cui vivendo operam damus. Huic nos approbemus. Nam nihil prodest inclusa conscientia, patemur Deo.* Subjungit igitur hisce Senecæ verbis Lactantius: *Quid verius dici potest ab eo, qui Deum nosset, quam dictum est ab homine, VERÆ RELIGIONIS IGNARO? Nam & majestatem Dei expressit, majorem esse dicendo, quam ut eam cogitatio mentis humane capere posset; & ipsum veritatis attigit fontem, sentiendo, vitam hominum supervacuam non esse, ut Epicuræi volunt, sed Deo ab his operam vivendo dari; Siquidem justè ac piè vixerint. Potuit esse verus Dei cultor, si quis illi monstrasset; ac contempsisset profectò Zenonem & Magistrum suum Socionem, si veræ Sapientia Ducem nactus esset.*

esset. *HUIC NOS, inquit APPROBEMUS. Caelestis prorsus oratio, nisi antecederet, ignorantia confessio &c.* Vides quam perspicue Lactantius Christianismum Senecæ negarit? Quod ante eum Tertullianus etiam fecerat, quando in Apologetico adversus Gentes, non Christianis, sed Ethnicis Doctoribus Senecam accensuit, ajens: *Multi apud Vos ad tolerantiam doloris & mortis hortantur, ut Cicero in Tusculanis, ut Seneca in Fortuitis, ut Diogenes, ut Pyrrhon, ut Callinicus. Nec tamen tantos inveniunt verba discipulos, quantos Christiani factis docendo, &c.*

S. 14. *Secundo* Senecæ infidelitas multo magis erit perspicua, si ea consideres, quæ è Libro ejusdem, *adversus Superstitiones*, Augustinus citavit; Neq; enim mihi *Marci Zuerii Boxhornii* conjectura arridet, quâ in *Historia universali* p. 124. Senecæ, de Superstitionibus Romanorum Commentarios, à Christiano aliquo confictos & Senecæ nomine Vulgatos, suspicatur, ut & sic Christianus Seneca videretur. Et Sermonis indolem & materiam etiam, non est, quod Senecæ esse, dubitemus, quando in Scriptis ejus indubitatis similia reperiri, observamus. Nec faciunt fragmenta hæc, ut Christianus Seneca videatur, sed ut planè gentilis & unò nomine, à *Jesù*; Refert enim Augustinus L. VI. de Civ. D. c. X. uti in eodem Libro, quem contra Superstitiones scripsit, civilis Theologiæ has partes elegerit: Seneca sapienti, **UT EAS IN ANIMI RELIGIONE NON HABEAT, SED IN ACTIBUS FINGAT**, dum dixit: *Quæ omnia Sapiens servabit, tanquam legibus jussa, non tanquam Diis grata. Item: Omnem istam ignobilem Deorum turbam, quam longò avò longa superstitio congeffit, sic inquit, adorabimus, ut meminerimus, cultum ejus magis ad morem, quam ad rem pertinere.* Quibus Senecæ verbis rectè Augustinus subjungit: *Sed iste, quem Philosophi quasi liberum fecerunt, tamen quia illustris populi Romani Senator erat, colebat, quod reprehendebat, agebat, quod arguebat: quod culpabat, adorabat; quia videlicet magnum aliquid eum Philosophia docuerat, ne superstitiosus esset in mundo, sed propter leges civium, moresq; hominum, non quidem ageret fingentem Scenicum in theatro, sed imitaretur in templo, eo damnabilius, quod illa, quæ mendaciter agebat, sic ageret, ut eum populus veraciter agere existimaret,*

marer. Scenicus autem ludendo potius delectaret, quam fallendo deciperet. Sed & alia, ex eodem contra Superstitiones Libro, ab Augustino citantur, quæ Scepticum, non Christianum Senecam fuisse arguunt; *Sabbathi enim Hebdomadici Sacra* penitus improbat, quorum Autor tamen Deus ipse est. Ita *Sacramenta Judeorum* ridet, quod major pars populi faciat, quod cur faciat, ignoret. Quæ in *Vetus Testamentum*, legemq; Judaicam calumnia, iterum *Augustino* non placuit; Citat enim scripta sua, in quibus, adversus Manichæos, de eadem materia disputaverat.

§. 15. Cum uberrima errorum messis in eo Senecæ libro conspicua sit, qui pro optimo haberi solet, mirum non est, in aliis ejusdem scriptis plura contra fidem nostram concepta reperiri; *Tertiò* igitur & generaliter quidem Stoicorum errores suos fecisse Senecam, ex innumeris patet testimoniis; Nam *Zenonem* laudat in Epistola LXXXIII. ut *virum maximum, Sectæ fortissimæ & sanctissimæ* [id est, Stoicæ] conditorem; Et iterum alibi: *Tantum, ait, interesse inter Stoicos, & cæteros Sapientiam professos, quantum inter Viros & fœminas.* Atque ideò de Seneca nostro scripsit *Lactantius*, quod ex Romanis *Stoicus acerrimus* fuerit L. 1. de falsa Religione cap. 5. & Lib. 2. cap. 8. *omnium Stoicorum acutissimum* vocat. Enimverò ut de Stoicorum Philosophia ita senserit *Hieronymus* in *Esaia* cap. XL. *Stoici nostro dogmati in plerisq; concordant, nihil appellant bonum nisi solam honestatem, nihil malum nisi turpitudinem, & Justus Lipsius* quondam scripserit: *Ex Philosophis omnium accommodatissimò ad Christianam veritatem Stoici scripserunt*, L. 1. Misc. Ep. 33. & 97. comparatè tamen eadem intelligenda veniunt, non quod Stoici boni, sed quod minus mali fuerint, & restringenda eorum laus ad Theologiæ Naturalis capita est; Nam quæ propria fidei nostræ, quæ Christiani dicimur, mysteria sunt, Epicurei pariter & Stoici Philosophi repudiarunt, quibus Evangelii nuncius ille, *Sanctus Paulus, σπερμολόγος* dictus est, judicaruntq; novorum Dæmoniorum annunciatores eum esse, eò quòd Jesum & Resurrectionem annunciabat eis, *Actor. XVII, 18.* Non vacat omnia Stoicorum dogmata singulatim recensere, quorum plurima
Scriptis

Scriptis Divinis contraria fuerunt, fusè eadem exponunt *Laërtius*
in Zenone, *Simplicius* in Scholiis, *Arrianus*, *Barlamus*, *Cleomedes*,
& è recentioribus *Justus Lipsius*, nec non *Daniel Heinsius* L. 2. de
Satyra Horat. Conferri etiam utiliter possunt *Gerhardus Johannes*
Vossius de Philosophorum Sectis cap. XIX. & *Georgius Hornius* in
Historia Philosophica L. III. c. XVI. Capitalis certè *Senecæ* error
fuit, quod Sapientiæ humanæ omnia tribuerit, nec alium σοφίας
veræ fontem, quàm Naturam ipsam, agnoverit; Qui more
Stoicò sapiebat, ut illi soli βασιλεία, ἰερωσύνη, προφητεία, νομοθε-
τικὴ, πλῆτος, καλλὸς ἀληθινὸν, εὐχρηστία, ἐλευθερία, Regnum,
Sacerdotium, Prophetia, legis ferenda scientia, divitiæ, vera pulchri-
tudo, nobilitas, libertas, ab hujus Secta hominibus tribuerentur,
uti *Clemens Alexandrinus* L. II. Stromat. loquitur; De Sapiencia,
quæ per Revelationem Supernaturalem ex Deo est, quàm caro
& sanguis non revelat, sed Pater cœlestis, *Matth. XVI, 17.* altis-
simum in Scriptis *Senecæ* est silentium. Deum porrò, quem
agnovit *Seneca*, Naturam ipsam esse asseruit, apud *Lactantium*
L. II. de Origine Erroris cap. 8. inquit: DEUS IPSA NA-
TURA EST. Alibi Mundo tribuit, quæ asserenda soli DEO
erant: Unus omnium parens, inquit Lib. III. de Beneficiis cap. 28.
Mundus est, sive per splendidos, sive per sordidos gradus; Ad hunc
prima cujusq; origo perducitur. Animarum insuper immortalita-
tem, etsi alicubi, Epistolâ nempe CII. asserere videatur, dum
ait: Per has mortalis ævi moras, illi meliori vitæ, longioriq; praludi-
tur. Quemadmodum novem mensibus eos tenet maternus uterus, &
preparat non sibi, sed illi loco, in quem videmus remitti, jam idonei
Spiritus trahere, & in aperto durare: Sic per hoc spatium, quod ab
infantia patet in senectutem, in aliam naturæ sumimur partem.
Alia origo nos expectat, alius rerum status. Nondum cœlum nisi
ex intervallo pati possumus. Proinde intrepidus horam illam decre-
toriam prospice. Non est animo suprema, sed corpori. Quicquid circa
te jacet rerum, tanquam hospitalis loci sarcinas spectâ. Transcundum
est, &c. Alibi tamen de immortalitate dubitasse *Senecam*, à
Tertulliano annotatum est, ab initio Libri, de Resurrectione carnis,
exclamante: Fiducia Christianorum, resurrectio mortuorum: Illam
credentes sumus, hoc credere veritas cogit. Veritatem Deus aperit.

C.

Sed

Sed vulgus irridet existimans, nihil superesse post mortem. - - Plane cum vulgo interdum & sapientes sententiam suam jungunt. Nihil esse post mortem, Epicuri Schola est. Ait & Seneca: Omnia post mortem fini, etiam ipsam. Eandem Senecæ sententiam iterum Tertullianus allegat in Libro de Anima cap. XLII. (distinctionis Pamelii) Multo coactius Seneca: Post mortem (ait.) omnia finiuntur, etiam ipsa. Hoc si ita est, jam & mors ad seipsam pertinebit, si & ipsa finitum. Confer denuò Librum de Resurrectione Carnis cap. 3. Hæsitasse aliquando Senecam de Animæ immortalitate etiam ex Epistola ejusdē LVII. colligo: Quomodo fulmini, scribit, etiam cum latissimè percussit ac fulsit, per exiguum foramen est reditus: Sic animæ, qui adhuc tenuior est igne, per omne corpus fuga est. Itaq; de illo quærendum est. AN. POSSIT IMMORTALIS ESSE? Hoc quidem certum habe, si superstes est corpori, propter hoc illum nullo genere posse perire, propter quod non perit: quoniam nulla immortalitas cum exceptione est, nec quicquam noxium aeterno est. Sed quicquid tandem de Animæ immortalitate Seneca senserit, Carnis Resurrectionem omnino negavit, nec improborum post mortem supplicia credidit, omnes animas separatas, in loco citato antea, ad eundem ordinem referens, ubi summus est fulgor, tot sideribus inter se lumen miscentibus; ubi item nulla serenum umbra turbabit; æqualiter splendebit omne cæli latus, &c. Ad dam unicum adhuc è Scriptis Senecæ locum, ut probem, Christianis eum accenseri non posse; Quorundam animalium esum, sanguinis item, & suffocati, in Veteri Testamento, Deum prohibuisse, è Levitici cap. XI. notum omnibus est; Et quamvis in Novo Testamento Carimoniarum Leviticarum necessitas desierit, è Judæis tamen dum colligenda erat Ecclesia, cautè cum infirmis fratribus Christiani primi egerunt, ne eosdem, propter escam, tristitiâ afficerent, vel escâ suâ perderent fratrem, pro quo Christus est mortuus Rom. XIV, 15. Atque ideò in Concilio Apostolico Hierosolymis habito, decretum est, ut abstinerent Christiani ab iis, quæ sunt immolata idolis & à sanguine & à suffocato &c. Act. XV, 29. Non latebant hæc Senecam, sed vide, quam contemptim primæ Christianorum Ecclesiæ prudentiam, ut SUPERSTITIONEM ALIENIGENARUM traducat; ad Lucilium scribens Epistolâ CVIII. Abstinere

stinere animalibus cœpi: & annò peractò non tantùm facilis mihi erit
consuetudo, sed dulcis; Agiliorem mihi animum esse credebam: nec
tibi hodie affirmaverim, an fuerit. Queri, quomodo desierim? In Ti-
berii Cesaris principatum juventæ tempus incidere, ALIENIGE-
NARUM GENTIUM SACRA movebantur. Sed inter argu-
menta SUPERSTITIONIS ponebatur, quorundam animalium
abstinentia. Patre itaq; meo rogante, qui non calumniam timebat,
sed Philosophiam oderat, ad pristinam consuetudinem redii: Nec
difficulus mihi, ut inciperem melius cœnare, persuasit. Non dubito
apprehendere Lectorem, quos paragraphus ille pungat; Institu-
tum DEI pessimè traducit infidelis homo, & gentilium etiam
mores execratur, ut Logothetæ fidelium agrè faciat. Atq; hæc
circa vitæ suæ exitum scripsit Seneca, seipsum *senem* appellans,
suaq; ætatis in eadem Epistola deplorans injurias. Senecam igitur
pro fidei non habeo prius, quàm Taciti [qui similiter in Judæo-
rum ritus *Ἰουδαϊσμοῦ* acerbè invehitur] Christianismus probatus
fuerit.

§. 16. *Quartum* & peculiare argumentum adversus
Christianismum Senecæ, commendata ab hoc Scriptore ἀνομι-
α suppeditat. Norunt Christiani omnes quintum Decalogi
præceptum: NON OCCIDES, tum proximi, tum sui ipsius
necem prohibere; Nam & hic homicida est, qui sibi ipsi violen-
tas manus infert, & homines certè occiderunt *Themistocles Athe-
niensis*, *Cato*, ejusdemq; filia *Porcia*, *Lucretia*, item & similes
ἀνομιώτατοι; Norunt, inquam Christiani, neminem esse sui
ipsius Dominum, sed terram ipsam esse Jehovæ & plenitudinem
ejus; Orbem terrarum & universos, qui habitant in eo, *Psalms.*
XXIV, 1. Nullus nostrū sibi ipsi vivit & nullus sibi ipsi moritur. Sive
enim vivamus, Domino vivimus; Sive moriamur, Domino mo-
rimur. Sive ergo vivamus, sive moriamur, Domini sumus *Rom.*
XIV, 7. 8. Norunt deniq; Christiani, charitatis erga proximum
cynosuram nullam aliam esse, quam charitatem erga se, dicente
Domino: *Diliges proximum tuum, SICUT TE IPSUM*, *Lev.*
XIX, 18. *Matth. XXII, 39.* *Marc. XII, 31.* Si quis igitur seipsum
capitali odiō prosequitur, proximum fane diligere sincerè non
poterit. Ut taceam, infidelitatis seu diffidentiae in Deum argu-

mentum hoc esse, desperare de auxilio divino, & unicum solati-
um in gladio sanguinolento quarere. Alia omnia Seneca fuit
persuasus, quemadmodum enim Stoici universim interemptores
sui laudare soliti sunt, ita similiter Seneca non uno in loco hujus
generis facinora commendavit, alicubi quidem obscurius, ut
quando Epist. XXVI. scripsit: *Una est catena, quæ nos alligatos
tenet, amor vite: Qui ut non est abjiciendus, ita minuendus est: ut
si quando res exiget, nihil nos detineat, nec impediat, quo minus pa-
rati simus, quod quandoq; faciendum est, statim facere.* Alibi verò
clarius, imprimis Epistolâ LXX. In qua prolixam pro iis, qui
pœnæ suæ commodarunt manum propriam, apologiam scripsit
Senex. En flosculos! *Si altera mors cum tormento, altera simplex.
& facilis est, quidni huic injicienda sit manus? Quemadmodum
navim eligam navigaturus & domum habitaturus, ita mortem
utiq; quâ sum exiturus è vita meliorem. Præterea, quemadmo-
dum non utiq; melior est longior vita, sic pejor utiq; mors longior.
In nulla re magis, quam in morte more maximo gerere debe-
mus. Exeat, quæ impetum cepit: Sive ferrum appetit, sive
laqueum, sive aliquam potionem venas occupantem: pergat
& vincula servitutis abrumpat. Vitam & aliis approbare quisq;
debet, mortem sibi. Optima est, quæ placet. --- Nihil obstat
erumpere & exire cupienti: In aperto nos natura custodit. Cui
permittit necessitas sua, circumspiciat exitum mollem. Cui ad
manum plura sunt, per quæ sese efferat, is delectum agat, & quæ
potissimum liberetur, consideret. Cui difficilis occasio est, is proxi-
mam quamq; pro optima arripiat, sit licet inaudita, sit nova.
Non deerit ad mortem ingenium, cui non defuerit animus. ---
Ille vir magnus est, qui mortem sibi non tantum imperavit, sed
invenit. --- Secundo Navmachie spectaculo unus è barbaris
Lanceam, quam in adversarios acceperat, totam jugulo suo im-
mersit. Quare, inquit, non omne tormentum, omne ludibrium
jamdudum effugio? Quare ego mortem armatus expecto? Tanto
hoc speciosius spectaculum fuit, quanto honestius mori discunt
homines, quam occidere. Quid ergo? quod animi perdit, noxio-*

sig.

siq; habent, non habebunt illi, quos adversus hos casus instruxit
longa meditatio & magistra rerum omnium ratio? Illa nos docet,
fati varios esse accessus, sinem eundem. Nihil autem interesse unde
incipiat, quod venit. Eadem illa ratio monet, uti si licet, moria-
ris sine dolore. Sin autem non potes; fac quemadmodum potes,
& quicquid obvenit, ad vim adferendam tibi, invadas. Inju-
riosum est raptò vivere, At contra pulcherrimum mori raptò.
Putasne voces has Christiani hominis esse, & qui DEO suo
confidit? Immo desperant in hunc modum ἐλπίδα μὴ ἔχοντες,
καὶ ἀθεοὶ ἐν τῷ κόσμῳ, nullam spem habentes & DEI expertes
in mundo. *Ephes. II, 12.* Constante autem Seneca in hunc mo-
dum docuit, senex etiam, nec diu ante finestum exitum. Iterum
hujus crudelitatis mentionem facit Epistolâ LXXVII. *Marcellini*
factum commendans, quod mortem quidem sibi consciverit,
tamen mollissimè excesserit & vitæ elapsus sit. Tam pertinax in-
flagitioso hoc Stoicorum errore fuit Seneca.

§. 17. *Quintum* argumentum, & *Sextum* etiam ad-
versus Christianismum Senecæ, novissima ejusdem suppeditant.
Ἀυτοχειρία enim, quam alios docuit, usus ipse est, & post cru-
dele facinus, idola gentilium implorans perijt,

Vitæq; cum gemitu fugit indignata sub umbras.

Quousq; aliàs, ad sui interitum, capitis damnato cooperari liceat,
disputari inter Scholasticos solet, asserente *Alphonso à Castro*,
ἄυτοχειρία etiam tunc committi, quando reus patibulum ascen-
dit, vel crucem bajulat, &c. Sed uti *Dominicus à Soto* Lib. I. de
Justitia & Jure qv. 6. & L. V. qv. 6. sententiam hanc rectè rejicit,
ita dubio procul is veri nominis *ἄυτοχειρία* est, qui annunciatâ sibi
moriendi necessitate, manum carnificis non expectat, sed alienæ
crudelitatis procuracionem suscipit, atq; ita timore mortis
moritur. Quod in Scholis Doctorum Moralium extendi etiam
ad eos solet, qui in bello navali cum infidelibus, ignem pulveri
pyrio admovent, ne ipsi & sua in hostium veniant potestatem,
uti hæc apud *Lessium* de Justitia L. II, c. 9. dub. 6. *Fagundez* in præ-
cepta Decalogi Tom. I. L. V. c. II. *Johannem Martinez de Prado*
Tom. II. Theol. Moral. c. 20. qv. 2. *Amadeum Gvimonium* in Opusc.
p. 20. aliosq; concertantes Scriptores legi possunt. Multo minus

igitur excusandus erit Seneca, quod destinatum sibi supplicium
sciens, poenae suae manum commodarit, & alienum negotium
egerit. Prolixius equeidem, sed disertè, novissima Senecæ Tacitus
descripsit, & merentur ejus verba, ut adversarios acutissimè
constringamus, quæ hic integra legantur: *Sequitur cædes Annai
Seneca, inquit Annal. XV. N. 9. letissima Principi, non quia
conjuratōnis manifestum compererat, sed ut ferrò grassaretur,
quando venenum non processerat. Solus quippe Natalis & hacten-
us promisit; missum se ad agrotum Senecam, ut viseret conque-
rereturq; cur Pisonem aditu arceret? melius fore si amicitiam
familiari congressu exercuissent. Et respondisse Senecam, sermo-
nes mutuos & crebra colloquia neutri conducere: Caterum salu-
tem suam incolumitate Pisonis inniti. Hæc ferre Granius Sylvanus
tribunus prætoria cohortis, & an dicta Natalis, suaq; responsa
nosceret, percontari Senecam jubetur. Is, forte an prudens, ad
eum diem ex Campania remeaverat, quartumq; apud lapidem
suburbano rure substiterat. Illo propinqua vespera tribunus
venit, & villam globus militum sepsit. Tum ipsi cum Pompeia
Paullina uxore & amicis duobus epulanti mandata Imperatoris
edidit. Seneca missum ad se Natalem, conquestumq; nomine
Pisonis, quod visendo eo prohiberetur, seq; ratione valetudinis &
amore quietis, excusavisse respondit. Cur salutem privati hominis
incolumitati sua anteferret, causam non habuisse; nec sibi prom-
tum in adulationis ingenium. Idq; nulli magis gnarum quam Ne-
roni, qui sapius libertatem Senecæ, quam servitium expertus
esset. Ubi hæc à tribuno relata sunt, Poppæa & Tigellino coram,
quod erat sevientis principis intimum consiliorum, interrogat; an
Seneca voluntariam mortem pararet? Tum tribunus nulla pau-
cioris signa, nihil triste in verbis ejus aut vultu deprehensum con-
firmavit. Ergo regredi, & indicere mortem jubetur. Tradit Fa-
bius Rusticus; non eo quo venerat itinere reditum, sed flexisse ad
Feniam Præfectum, & expositis Caesaris jussis, an obtemperaret
interrogavisse: monitumq; ab eo, ut exsequeretur, fatali omnium
ignaviâ. Nam & Silvanus inter conjunctos erat, augebatq; scelera
in quo*

in quorum ultionem consenserat. Voci tamen & aspectui perperit.
Intromisit quoque ad Senecam unum ex centurionibus, qui necessitatem
ultimam denunciaret. Ille interitus postulat testamenti tabulas:
ac denegante centurione, conversus ad amicos, quando meritis
eorum referre gratiam prohiberetur, quod unum jam, attamen
pulcherrimum habebat, imaginem vitae suae relinquere testatur, cuius
si memores essent bonarum artium, famam tam constantis amici-
tiae laturos. Simul lacrymas eorum, modo sermone, modo inten-
tior in modum coercentis ad firmitudinem revocat, rogans:
Ubi praecepta Sapientiae? ubi tot per annos meditata ratio adver-
sum imminet? Cui enim ignaram fuisse saevitiam Neronis?
Neque aliud superesse post matrem fratremque interfectos, quam ut
educatoris praeceptorisque necem adjiceret. Ubi haec atque talia velut
in commune disseruit, complectitur uxorem, & paululum adversus
praesentem formidinem mollitus, rogat oratque temperaret dolori,
ne aeternum susciperet, sed in contemplatione vitae per Virtutem
acta, desiderium mariti solatiis honestis toleraret. Illa contra, sibi
quodque destinatum mortem adseverat, manumque percussoris ex-
poscit. Tum Seneca gloriae ejus non adversus, simul amore, ne sibi
unice dilectam ad injurias relinqueret: Vita, inquit, delinimenta
monstraveram tibi, tu mortis decus mavis, non invidebo exemplo.
Sit hujus tam fortis exitus constantia penes utrosque par, claritu-
dinis plus in tuo fine. Post quae, eodem jectum brachia ferro exsol-
vunt. Seneca, quoniam senile corpus & parvo victu tenuatum,
lenta, effugia sanguini praebebat, crurum quoque ac poplitum venas
abrumpit. Saevisque cruciatibus defessus, ne dolore suo animum
uxoris infringeret, atque ipse visendo ejus tormenta, ad impatien-
tiam delaberetur, suadet in aliud cubiculum abscederet. Et novis-
simo quoque momento suppeditante eloquentiam, advocatis scriptori-
bus, pleraque tradidit; quae in vulgus edita ejus verbis, invertere
superfedeo. At Nero, nullo in Paullinam proprio odio, ac negli-
sere crudelitatis, inhiberi mortem imperat. Hortantibus mili-
tibus, servi libertique obligant brachia, premunt sanguinem, in-
certum

certum an ignare. Nam ut est vulgus ad deteriora promptum, non
 defuere qui crederent, donec implacabilem Neronem timuerit,
 famam sociatæ cum marito mortis petivisse, deinde oblatâ mitiore
 spe, blandimentis vitæ evictam. Cui addidit paucos postea annos,
 laudabili in maritum memoriâ, & ore ac membris in eum pallo-
 rem albentibus, ut ostentui esset, multum vitalis spiritus egestum.
 Seneca interim durante tractu, & lentitudine mortis, Statium
 Annæum diu sibi amicitia fide & arte medicina probatum, orat pro-
 visum pridem venenum, quo damnati publico Atheniensium iudicio
 exstinguerentur, promeret: allatumq; hausit frustra, frigidis
 jam artibus & clauso corpore adversum vim veneni. Postremò
 stagnum calidæ aquæ introiit, respergens proximos servorum,
 additâ voce: *Libare se liquorem illum JOVI LIBE-
 RATORI.* Ex in balneo illatus, & vapore ejus exanimatus,
 sine ullo funeris solenni crematur. Pro Christiano Senecam ha-
 heat, quicumq; voluerit, ego illum, qui moriens etiam *JOVI
 LIBERATORI SE LIBARE* dixit, pro gentili pertinaciter
 habebò; Prorsus enim Ethnicam consuetudinem, infideles in-
 ter receptam hanc fuisse, palam est, quemadmodum *Thrasea*
 etiam *Xiphilinus* in Epitome Dionis pag. m. 289. annotavit: *Εντε-
 μὼν τὴν Φλέβα, ἀέτινε τὴν χεῖρα, καὶ ἔθη, Σοὶ τὸ τοῦ αἵμα, ὡ
 Ζεὺ ἐλευθέρῃ σπένδω;* Cum venam secuisset, porrectâ manu dixit:
*HUNC TIBI, O JUPITER LIBERATORE, SANGVINEM
 LIBO.* Eandem Historiam à *Tacito* annotatam *Annal. L. XVI.*
 legimus: *Thrasea*, inquit, acceptò *Senatus Consulto*, *Helvidium* &
Demetrium in cubiculum inducit: porrectisq; utriusq; brachii venis,
 postquam cruorem effudit, hûmum super spargens, propius vocato
 questore, *LIBEMUS*, inquit, *JOVI LIBERATORI*, spectâ juve-
 nis, & omen quidem Dii prohibeant; Cæterum in ea tempora natus
 es, quibus firmare animum expediat constantibus exemplis. Confer
Barnabæ Brissonii de Formulis L. I. p. 33.

§. 18. Restat, ut *Septimum* etiam argumentum, ad con-
 futandam, quæ circumfertur, de Christianismo Senecæ fabulam,
 promamus. Observamus igitur originem habuisse eam ex Episto-
 lis quibusdam, quas Seneca ad Paulum, dedisse dicitur, & hic
 vicis-

vicissim alias ad illum, quarum etiam superius mentionem fecimus. Enimvero animadverterunt jamdudum censores Scriptorum veterum, Epistolas easdem esse supposititias, & quemadmodum *Erasmus* loquitur: *Nec Pauline majestatis, nec gravitatis Seneca habere quicquam.* Aliis dicuntur *ridicule, inepta, barbara, Seneca & Paulo indigna, commentum monachi rudioris, qui plurima ejusmodi, dum in claustris suis sedebant, soli Bibliothecarum possessores, indoctis seculis obtruserunt.* Quis non omnino insanus & ineptus ex ipso stylo, statim arguat, Auctorem suum eas mentiri? exclamat *Boxhornius* in *Histor. Univers.* p. 123. Atque hoc adeo verum est, ut ipsimet Pontificii Scriptores, quos citavi antea, animadverterint, confessique fuerint, fraudem hic subesse. Integram quandam Senecæ ad Paulum Epistolam repetam, ut eo promptius judicare de autoritate illius unus quisque possit, & quid *Cardinalis Cesar Baronius*, de eadem Epistola censuerit, annotabo:

PAULO
ANNÆUS SENECA S.

Ave mi Paule charissime. Putasne me haud contristari & non luctuosum esse, quod de innocentia vestra subinde sumatur supplicium? Debinc quod tam obnoxios vos reatui omnis populus judicet, putans à vobis effici, quod in urbe contrarium fit? Sed feramus aequo animo, & utamur forò, quod sors concessit, donec invicta felicitas finem malis imponat. Tulit & priscorum ætas Macedonem Philippi filium & Dionysium: Nostra quoque Cajum Casarem: quibus quicquid libuit, licuit. Incendium Urbs Romana unde sæpè patiatur, manifestè constat, sed si effari humilitas humana potuisset, & impune his tenebris loqui liceret:

D

ret:

ret: jam omnes omnia viderent, Christiani & Ju-
dæi quasi machinatores incendiî suppliciò affici
solent. Grassator iste quisquis est, cui voluptas
carnificina est, & mendacium velamen, tum tem-
pori suo destinatus est, & sicut optimi cujusq; caput
pro uno donatur capite, ita unum pro multis dabi-
tur caput, & hic devotus pro omnibus igni crema-
bitur. Centum triginta duæ domus, Insulæ qua-
tuor, sex diebus arsere: Septimus pausam dedit.
Benè te valere opto. Data quinto Kal. Aprilis,
Frigio & Basso Consulibus.

Oportet profectò caput cerebrò vacuum habere, qui hæc Se-
necam scripsisse opinatur; Quæso te, quam horrent omnia!
quam magnus Barbarismorum & Solæcismorum numerus occur-
rit! Quàm ineptè solari Apostolum conatur Tyro! Immò quàm
apertè mentitur nugator ille. Audi Baronium. Senecæ Epistola ad
Paulum de incendio Neroniano, scribit ad Annum Christi LXVI.
N. XI. meâ sententiâ, ab alio quopiam potius ficta videtur, quam à
Seneca scripta, cum tam aperta in ea asserantur mendacia, nempe cen-
tum tantum triginta duas arsisse domos, & quatuor Insulas: Nam cum
ex quatuordecim Urbis Regionibus, quatuor tantummodò integras re-
mansisse, testetur Tacitus, longe quidem majorem exustarum domo-
rum & insularum numerum extitisse oportuit. Monet deinceps
Baronius, in suo exemplari, Aproniani & Capitonis Consulatum
apponi, atq; ita Epistolam hanc quinque annos ante incendium
scriptam esse. Quod ineptissimum institutum ut corrigeret Six-
tus Senensis, & Lectorem tutius falleret, alios Consules apponere
non dubitavit. Bivarrii verò conjectura est, ab imperitis quibus-
dam, veris Epistolis Senecæ & Pauli, Consulatus falsos apponi
facile potuisse, nec in tam brevibus ac familiaribus necessum
fuisse, ut Seneca Consules apponeret. Ita quas adeò commen-
dant Epistolas, ipsimet Pontificii de falsitate suspectas reddunt,
atq; unâ fundamentum Christianismi Senecæ, quem propugnant
tamen,

tamen, ridiculè destruunt. Coeterùm illi ipsi Scriptores è Criticis recentioribus, qui in laudibus Senecæ recensendis modum omnem excedere videntur; in iudicio tamen suo de Epistolis ferendo fluctuant; *Lipsius* præsertim, caput X. de vita Senecæ verbis sequentibus concludit: *Sed heus Epistolas ad Divum Paulum non memoramus? Quæ nunc sunt, non sunt tanti: Imò certum est, ejusdem Auctoris & Pauli & Senecæ illas esse, & compositas à semi-docto in ludibrium nostrum.* Tentat Latine loqui, quisquis Auctor fuit. Haftenus benè. Sed in iis, quæ sequuntur, conjecturis, nequaquam assentimur *Lipso*: Pergit enim: *Ergo inter se non scripserunt?* Et respondet: *Hieronymus, Augustinus, atq; etiam antiquior utròq; Linus Pontifex, asserunt & passim opinio olim fuit. Atq; adeò Job. Sarisberiensis fortiter: DESIPERE VIDENTUR, QUI NON VENERANTUR EUM, QUEM APOSTOLICAM FAMILIARITATEM MERUISSE, CONSTAT. Itaq; rejicere hoc totum & calcare non ausim: Fuerint aliqua: Sed alia: Si ista, requiro iudicium optimorum Patrum.* Hucusq; *Lipsius*.

§. 19. Nil superest amplius, quàm ut Rationes adversæ partis, in præcedentibus allegatas, dijudicemus. Ad PRIMAM igitur dicimus, in Logicorum Regulas peccare, qui ita arguunt: In toto Prætorio innotuerunt conciones Pauli & sancti quidam è Cæsaris domo Philippenses salutarunt; Ergo Seneca etiam, secus, quam è Scriptis ejus & Historicis antiquis constat, ad Christianismum aliquando conversus est. Cur non de *Tigillino, Natali* & similibus, qui eodem vixerunt tempore, subsumunt? Sicuti positò genere, non necessum est ponere certam determinatam speciem, ita neq; ex eo, quod quidam è Cæsaris domo dicuntur conversi, colligere licet, Senecam Christianorum catalogo ascribendum esse.

§. 20. Ad SECUNDUM ARGUMENTUM Respondemus, ostensum esse jamdudum, Librum de *Martyrio Apostolorum, Lino* tributum, esse *Ψευδώνυμον* & ejusdem indolis, cujus solent esse, quæ Pontificibus præscis tribui solent, quorum neque nomina, neque ordinem, nec scripta deniq; novimus. Et tam evidens est impostura, auctoritatem Lini allegantium, ut *Bellarminus* quoq; de Scriptoribus Ecclesiasticis eam agnoverit; *Narrat, in-*

qv̄it pag. m. 37. auct̄or ille multa de act̄is S. Petri, qv̄e vel falsa, vel dubia sunt, neq; testimonium habet hoc opusculum S. Lini à veteribus; & iterum L. 2. de Romano Pontificæ cap. 9. Lini Historia verè conficta est & qv̄ia conficta, nullius est autoritatis. Gemina his Cesar Baronius tradidit Annal. Tom. I. ad Annum 69. Num. 6. & ad An. 80. N. 4. inqv̄it: Act̄a passionis Petri & Pauli, qv̄e Lini nomine inscripta habentur, multis esse referta erroribus, superius est demonstratum. In eundem sensum Johannes Maria Magister Sacri Palatii scripsit: Duo isti Libri de Passione Petri & Pauli, sub nomine Lini Romani Pontificis & Martyris sunt Pseudepigraphi, multos errores continent, nec ullius censentur autoritatis, ut jam eruditorum consensu nimis exploratum habetur. Confer. Roberti Coci Censuram Scriptorum Veterum p. 15. & Andrea Riveti Libr. I. cap. VI. Critici sui.

§. 21. Ad TERTIUM respondemus, Hieronymi quidem auctoritatem nos magni aliàs facere, ita tamen, ut veritati primas tribuamus; Homo enim fuit, qv̄i fallere potuit & falli. Imprimis autem in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum vulgi opiniones sequitur, neq; perpetuò e sua sententia, sed ex aliorum sc̄pius scripsisse nobis videtur; SANCTORUM etiam titulum iis tribuisse, qv̄os nemo hodie dignos eò censeret. Eòdem certè locò, qv̄ò Senecam, habuit etiam Philonem & Josephum, quorum alter antecedit Senecam, alter sequitur. Neq; tamen hucusqve mihi innotuerunt, qv̄i pro Christianismo Philonis & Josephi laborarint, nec SANCTUM PHILONEM, vel SANCTUM JOSEPHUM citant Autores. Quid multis? In eodem Catalogo nominantur etiam, qv̄os Hieronymus ipse & Orthodoxa Ecclesia pro Hæreticis habuit, Tatianus, Origenes, Novatianus & similes, impostor item & Chiliarum Parens, Papias. Oportet igitur Scriptorum Ecclesiasticorum titulum ampliàs Hieronymum & eòdem notasse omnes, quorum scripta, ad cognoscendum Ecclesiæ statum, quicquam faciunt, quemadmodum id non obscure, de Philone & Josepho agens, indicavit. Ipsemet certè Erasmus, Encomiastes Hieronymi, in Scholiis ad verba citata: Nonnihil demiror, inqv̄it, qv̄id Hieronymus hic senserit? Cum Philonem ponere non sit veritus, Judæum, non Christianum, & item Josephum & nonnullos Hæresiarchas, cur vocat Catalogum Sanctorum? Aut cur his veretur adjungere Senecam,

necam, Ethnicum quidem, sed quod ad mores attinet, multis Christianis Sanctiorem? Cæterum Epistolas controversas non ipse tribuit Senecæ, sed eas legi à pluribus refert, ne suam iterum videretur opinionem exponere. Denique quod Senecam NOSTRUM appellavit Hieronymus, Christianum eum fuisse, minime probat, clavem enim Tertullianus in Libro de Anima suppeditat, vocans Senecam SOEPENOSTRUM, ut indicaret, in multis, quæ mores imprimis attinent, gentilem hunc cum Christianis consentire; Ita enim solent Scriptores Veteres citare, qui in certo & proposito negotio sibi assentiuntur, etiam si in aliis capitibus eosdem adversos habeant.

§. 22. Ad QUARTUM dicimus, extitisse quidem olim *Dextrum* quendam, fide Christianâ & dignitate muneris celebrem, dubium non est, cum eidem citatum modo catalogum Scriptorum Ecclesiasticorum Hieronymus dicarit, & Sophronius Hieronymi familiaris, qui librum hunc Græcè vertit, ἐπιτομὴν Νεαυτοῦ εἰς eum dixerit, sed quod hodiè circumfertur, præfixo *Dextri* nomine, Chronicon, scriptum esse supposititium, omnino putamus, atq; id adeò clarum, ut Cornelius à Lapide etiam fraudem suorum animadverterit hòc locò, quando in *Ἐξομολογήσει*, Actuum Apostolicorum Commentario præmissa p. m. ii. scripsit: Ante annos ferè 1200. ævo S. Hieronymi & Augustini, Fl. Lucius Dexter, Filius S. Paciani postea Episcopi Barcinonensis, Præfectus Prætorio Orientis, sub Theodosio Imp. Hispanus & Hispanorum encomiastes, scripsit Chronicon à natali Christi, usq; ad annum Christi 430. quo mortuus est S. Augustinus, illudq; dedicavit S. Hieronymo (& eo jam vita functo, Paulo Orosio) uti ipse testatur lib. de Script. Eccles. in fine, quem librum S. Hieronymus vicissim eidem L. Dextro inscripsit. Quasivit illud Card. Baronius, sed non reperit: post mortem ejus inventum est in Bibliotheca Barcinonensi, eò olim translatum ex Bibliotheca Fuldensi, uti ferunt, typisq; editum est in Hispania Cesaraugusta anno Domini 1619. cum appendicibus Maximi, Braulionis & Helicæ, Episcoporum Cesaraugustanorum, qui illud alternatim & successivè usque ad sua tempora continuarunt & prorogarunt. Multi viri Docti, præsertim Hispani, illud avidè arripiunt, citantq;ve. Nonnulli tamen Eruditi, quibus acris est crisis, spurium censent, vel certè aliorum

aliorum laciniis assutum & viciatum: tum quia varia ejus circumferuntur Exemplaria, quae inter se variant & dissonant: tum quia stylus rudior, Dextri stylum, non aequat, tum quia paradoxis & parachronismis inspersum videtur: tum quia ubi, quando, & a quo post tot secula primo repertum sit, ignoratur. Sanè Fuldae illud studiosè perquisivi, nec inveni. Sed multo magis ineptit Bivarius, quando ad Epistolam certam, inter spurias illas, Dextrum respexisse divinatur, barbarismis non tantum, sed ineptis etiam sententiis refertam, ut quando Seneca supposititius metuit, *in Hispaniis morari Paulum, ob indignationem Domini, quod à ritu & Secta veteri recesserit & alios rursus converterit.* Conjecturae hujus generis Christianos certè non decent, nec propterea indignatio Domini metuenda, quod Apostoli propagare Evangelium omni studio conati fuerint.

§. 23. Ad QUINTUM tria verba respondisse sufficiet, quia enim probatum à nobis jam antea est, *Augustinum pro Christiano Senecam non habuisse, obtorto collo in contrariam sententiam trahendus non erat Hipponensis Praesul: Senecam, ait, temporibus Apostolorum fuisse; Ita omnino est; Erant etiam temporibus Apostolorum Tiberius Caesar, Cajus Caligula, Claudius, Nero ipse, & innumeri alii, quos Christianorum catalogo nemo adscripserit. Pergit Augustinus: Cujus (Senecæ) etiam quaedam ad Paulum Apostolum leguntur Epistola. Et hoc rectè: LEGUNTUR, ut solent nempe Impostorum libri; Legebantur etiam tunc Libri plures, quos ipsemet Augustinus Apocryphis accenset. Sed urbanam tamen Theologiam reprehendit Seneca, ut Augustinus testatur? Non nego, Senecam id fecisse, nondum tamen exinde sequitur, Christianum eum fuisse. Aëro omnes idem fecerunt, Julius Caesar Vaninus, Godofredus à Valle, & similes. Non rejicere tantum Ethnicorum errores, sed veritatem Evangelicam amplecti, Christianorum est; *Hæc est vita aeterna, ut cognoscant Te solum verum Deum & quem misisti Jesum Christum, inquit Servator noster, Job. XVII, 3. idem verò Senecam fecisse, nullibi Augustinus scripsit.**

§. 24. Ad

§. 24. Ad **SIXTUM** similiter è præcedentibus patet responsio ; Rectè in delubra gentilium invehitur Seneca ; Malè Sacramenta Judæorum & Sacra Christianorum Hebdomadica unà deridet. Merebatur Claudii Cæsaris *ὑποθέσεις* Annæanam Apocolocyntosin, id est Satyricum libellum, in quo totum Deorum Senatum, ut fatuum, introduxit Seneca ; Neque tamen colligendum exinde erat, arcana veritatis cœlestis, Stoicum hunc Philosophum penetrasse. Uti vitia reliqua, ita infidelitas etiam habet gradus ; Et inter Diabolos sunt, qui magis nocent, quàm reliqui, non quod hi boni dicendi sint, sed quod illi magis mali. Poëtis gentilium meliora de Diis tradidit *Varro*, quando Theatricam Theologiam eorum exagitavit, Varronem superavit *Seneca*, Civilem etiam Theologiam examinans ; Neuter tamen horum Scriptorum meritis ob id Christianorum nomen est & titulum. Ita laudamus *Senecam*, si misertus Christianorum est, in quos *Nero* sæviit. Sed affectus humanior Christiani officium non exhaurit, quod fide & pluribus virtutibus Theologicis demum completur, *Fructus enim Spiritus sunt charitas, gaudium, pax, lenitas, benignitas, bonitas, FIDES, mansuetudo, temperantia. Adversus ejusmodi non est Lex. Gal. V, 22. 23.*

§. 25. **SEPTIMUM**, ultimumque adeò secus sentientium *ἔγυλημα* vix meretur responsum, *Honorius* enim *Augustodunensis* iis vixit temporibus, quæ ipsimet Pontificii Scriptores infelicissima appellant, cum barbaries, supina inscitia, mendacia & id genus alia Monasteria omnia tunc occuparint, proscriptâ cum humanioribus literis veritate. Quid igitur mirum, quod secundum indolem Seculi illius, in quo vixit, receptam in Monachorum claustris fabulam, suam fecerit *Honorius* ? Epitaphii denique Auctor & anonymus ipse est, & haud dubiè recentior. De stylo Epistolarum *Senecæ* & *Pauli*, quæ *Sixtus Senensis* monuit, obumbrasse eum *Autores de industria*, ineptissimis conjecturis accensemus meritò ; ut taceam Christianos non decere, in causa Fidei, dissimulations

tiones hujusmodi, Apostolis sanè dissimulare non convé-
 nit; Et quam ridiculè egissent ambo, si nomina propria lite-
 ris addidissent, & sub teginine vitiorum Grammaticalium
 latere tamen voluissent. Somnia hæc sunt & nugæ aniles!
 Certumq; adeò manet & firmum, *Lucium Annaum Senecam*
 non ut Christianum, sed ut Philosophum Gentilem decessisse,
 & ad eundem etiam pertinuisse, quod Apostolus conqvestus
 est: *Nos predicamus Christum crucifixum, Judeis quidem scan-*
dalum, ἑλλῆσι δὲ μωροῖαν, GRÆCIS verò STU L-
TITIAM, 1. Cor. I, 23.

SOLI DEO GLORIA!



305

n
!
S

05 A 1896


ULB Halle 3
003 778 371



von







B.I.G.

Farbkarte #13

Q. D. B. V.
 De
STIANISMO
NECÆ,
 ONE HISTORICO-THEO-
 ICA EXAMINATO,
 ntissima Leucorea,
 SUB PRÆSIDIO
 VIRI
 ndi, Amplissimi, Excellentissimi
DII STRAUCHII,
 ctoris, & Collegii Theologici Asses-
 mi, nec non Historiarum Prof. P.
 longè celeberrimi,
 eptoris, Patroni & Hospitis sui
 observantia nominibus aeternum
 colendi,
 Publicè disputabit
TOFREDUS KAWIß /
 Vratislaviensis,
 io Majori, Ad D. Septembris,
 A. R. S. cl5 l5c LXVIII.
 WITTEBERGÆ,
 S MICHAELIS Wendt.

